



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 132. Galliarum Rex a pluribus Princibus auxilia petens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](#)

Sæcul. XVI. mam, belli tormenta, ac militum sup.  
A.C. 1568. petias obtinuit.

## §. CXXXII.

*Galliarum Rex a pluribus Principi-  
bus auxilia petens.*

*Thuan, l.c.* Pariter Galliarum Rex ad prosequen-  
dum bellum undique pecunias con-  
quirere satagebat, ac jam dudum Ro-  
mam ablegabat Baptistam Alamannum  
Matisconis Episcopam, & post eum Han-  
nibalem Oricellarium etiam ad Sena-  
tum Venetum, necnon ad Ferrariæ,  
Mantuæ, & Florentiæ Duces mi-  
serat, a quibus mutuam in hoc bellum  
pecuniam, & auxiliares copias petie-  
rat: insuper eodem tempore Antonium  
Fumæum Blandium libellorum suppli-  
cum Magistrum ad Cæsarem legaverat,  
ut de subditorum insolentia, qui rus-  
sus contra ipsum arma sumpfissent, que-  
reretur, ut ipse auctoritatem suam in-  
terponeret, ne Condæo Principi sup-  
petiæ ex Germania five pedestres, five  
equestris subministrarentur. Hic Ora-  
tor Viennæ decima sexta Octobris au-  
ditus a Sapientissimo Imperatore respon-  
sum hoc tulit; „doleo, quod Rex Chri-  
stianissimus Condæi Principis, & Se-  
ctatorum ipsius contumacia, & teme-  
ritate coactus fuerit contra ipsos arma  
capere, ut illos omnes Regno pellat,

&amp;

„& unius tantum Catholicæ Religionis Sæcul. XVI.  
„in eo usum, ac professionem instauret; A.C. 1568.  
„quippe nihil magis cupio, & exopto,  
„quam concordiam, ac tranquillitatem  
„inter Principes servari, & a fundendo  
„Christiano sanguine abstineri, maxi-  
„meque exhorresco civiles motus, qui-  
„bus jam satis, superque infidelium ar-  
„mis attritæ Christianorum vires ma-  
„gis, ac magis profligantur: proinde  
„consultissimum mihi videtur, ut ra-  
„tiones ineantur, quibus Christiano  
„sanguini parcatur, & inter Regem  
„Christianissimum, ejusque subditos fir-  
„ma, ac sincera pax fanciatur: alioqui  
„futurum, ut magnis incommoditati-  
„bus, ac molestiis se, Regnumque flo-  
„rentissimum involvat, sparsis jam non  
„solum per Germaniam, sed etiam per  
„Britanniam de ipso, ac potioribus con-  
„ficiariis, sermonibus, ut dubitari mi-  
„nime possit, non defuturos haud par-  
„væ conditionis Principes, qui non fo-  
„lum favore, & quadam animorum in-  
„Principis Condæi partes propensione,  
„sed etiam pecunia, & milite propter  
„caussæ conjunctionem eum adjuturi  
„sint: quod vero Rex vester a me pe-  
„tat, ut delectus, qui pro Condæo Prin-  
„cipe per Germaniam habentur, im-  
„pediam, summas id patitur difficulta-  
„tes: nam si Superiore anno, cum belli  
„caussa

Sæcul. XVI. „caufsa æquior videretur, Rege auto-  
A.C. 1568. „ritatem suam, ac salutem contra re-  
„bellantes subditos vindicante, ac tu-  
„tante, hujusmodi delectus impediri,  
„quamvis adhibita summa diligentia  
„non potuerint, quid jam faciant, cum  
„longe alia belli caufsa, quam plerique  
„sibi communem cum Franciæ Calvi-  
„nistis ejus subditis, & Imperii Prote-  
„stantibus statuunt, expressis verbis pro-  
„ponatur, ac publicetur ? „

### §. CXXXIII.

*Guilielmi Saxonie Ducis responsum  
ad Franciæ Regis petitum.*

*Thuan. l.c.*

**A**ccepto hoc Cæsaris responso Fumæus  
 Aldemburgum ad Joannem Guiliel-  
 mum Saxonem, quo ille ob institutum  
 Religionis colloquium venerat, con-  
 tendit, a quo cum eadem, ac antea a  
 Cæsare, auxilia ex födere peteret,  
 die vigesima septima Decembris hoc re-  
 sponsum tulit: „pariter doleo, quod bel-  
 „lum nuper in Gallia compositum re-  
 „cruduerit, eoque magis, quod altera  
 „pars cauffam in Religionem, atque al-  
 „tera in rebellionem rejiciat: sunt au-  
 „tem expresso Dei mandato divina ab  
 „humanis discernenda: ideo id fece-  
 „runt Christianissimi Imperatores Con-  
 „stantinus, Theodosius, Marcianus, Ju-  
 „stinianus, Carolus Magnus, Ludovi-  
 „cus